



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓIFJÚSÁG SZÁMÁRA

Moderator (szerkesztő — Schriftleitung) IOS. WAGNER
 DR. Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon:
 68—6—34), ad quem epistulae et manuscripta mittantur

Administrator (kiadó — Geschäftsstelle) AL. REGÉNYI,
 Budapest, VII., Barcsay-u. 5. (tel.: 42—2—15), ad quem
 pecuniae dirigantur. (Postatak. cseksz. 57.292.)

Prodit Budapestini decies in anno. Pretium subnotationis an. 1935—36. est pro Hungaria 3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

De lingua Latina reviviscenti.

Nuperrime I. Wagner, moderator ephemeridis nostrae, scholam¹ de lingua Latina reviviscenti in Societate Philologorum habuit. Proposui, carissimi lectores, ut iis, qui hanc scholam audire non potuerunt, enarrarem, quae ibi dicta essent.

Prima quaestio fuit, utrum quaedam lingua internationalis necessaria esset. Moderator noster huiusmodi linguā opus esse respondit. Quod ab eo linguis artificiosis² probatum est. Hucusque³ enim permultae linguae internationales sunt fabricatae, ex quibus e.

g. lingua Esperanto dicta etiam vobis nota est. Quarum finis linguarum, quippe quae facillime perdisci possent, erat, ut populos diversis sermonibus⁴ patriis⁴ utentes in unum coniungerent.

Anno 1922. Genavae⁵ in Societate⁶ Gentium⁶ de quaedam lingua internationali eligendā disputabatur. Etiam lingua Latina erat

memorata, quae huic officio aptissime satisfacere posset. Quam tamen erant, qui minime esse aptam dicerent, cui vocabula multarum inventionum recentissimarum deessent, sine quibus hodie vivere non possumus. Cui tamen penuriae succurrere possumus. In diversis regnis iam viri linguae Latinae peritissimi operam⁸ in indice⁷ verborum⁷ his temporibus necessariorum conficiendo consumunt.⁸ Monaci⁹ e. g. existit Societas Latina, quae anno 1933. principia promulgavit, quibus ser-



Sedes Nationum Societatis nova (pag. 106.).

vatis nomina nova rerum modernarum recte fingerentur. Quae sunt sequentia: 1. omnibus terminis technicis Latinis vel Graecis, quibus nihil obici¹⁰ potest, porro utamur, 2. pro nomi-

¹ előadást tart = Vortrag halten ² mesterséges = künstlich ³ eddigelé = bis jetzt ⁴ anyanyelv = Muttersprache ⁵ Genf ⁶ Népszövetség = Völkerbund ⁷ szótár = Wörterbuch ⁸ dolgozni vmin = arbeiten (an etw.) ⁹ München ¹⁰ kifogásol = Einwendung machen

Per.
 Lat
 020

nibus rerum longis, quae sententiis¹¹ secundariis¹¹ circumscribuntur, breviora eligantur, 3. termini technici novi ratione¹² linguarum Romanarum habitā¹² construantur, 4. possunt nomina nova suffixis¹³ Latinis adhibitis (filmus) vel ita creari, ut nominibus internationalibus verbum Latinum tamquam appositio addatur (musica jazz).

Ipsa Societas Latina c. duo milia verborum novorum publicavit, quae a viris linguae Latinae peritissimis, utrum ad usum apta essent nec ne, examinarentur. Nobis omnibus magnum gaudium adferet index Hungarico-Latinus c. 4 milia vocabulorum novorum continens, qui — Deo favente — hoc iam anno a moderatore nostro edetur.

Lingua Latina etiam propterea valde apta est, quae sit internationalis, quia usque ad aeniens¹⁴ saeculum duodevicesimum hoc officio functa est. Usque ad illud tempus omnia opera ad¹⁵ litteras¹⁵ pertinentia¹⁵ linguā Latinā erant scripta, cuius in locum deinde linguae novae successerunt. Ecclesia tamen Romana Catholica linguam Latinam ut publicam servavit. Deinde ante¹⁶ oculos¹⁶ habendum¹⁶ est omnes homines eruditos plus minusve linguae Latinae esse peritos. Certe ēvēnit, ut ab aliquo in via interrogatos, ubi esset theatrum vel domus quaedam publica, lingua Latina vos adiūvaret, quum lingua interrogantis vobis ignota esset.

Lingarum novarum nulla potest esse internationalis, quia nulla natio patitur, ut lingua alius nationis pluri aestimetur, quam sua ipsius. Utrum Galli, an Angli paterentur, ut lingua Germanica esset internationalis? Minime. Qua de causa linguam, quae nullius¹⁷ partis¹⁷ sit, eligi oportet. Quae autem sola nostra carissima lingua Latina esse potest. Factum est-ne aliquid, ut lingua Latina in iuventute studiosa propagaretur? Apud Germanos clarissimus liber¹⁸ colloquiorum¹⁸ est a *Capellano-Lamer* editus, cui similem tamen aliae nationes (Itali, Galli, etc.) quoque habent; iuvenes autem Polonici etiam linguā Latinā loqui docentur. Deinde commentarii¹⁹ quoque periodici¹⁹ amorem linguae nostrae carissimae augere conantur.

Quid nobis Hungaris est faciendum? Amemus hanc linguam, quae apud maiores nostros quasi secundi sermonis patrii partes agebat,

et omni modo id studeamus, ut etiam alii eam cognoscant, atque ita etiam nos collaboremus in hoc sublimi proposito perficiendo.

Ladislav Magyar e Scholis Piis.

¹¹ mellékmondát = Nebensatz ¹² tekintetbevételével = mit Berücksichtigung ¹³ végződés = Endung ¹⁴ végéig = bis zum Ende ¹⁵ tudományos = wissenschaftlich ¹⁶ számol vmivel = berücksichtigen ¹⁷ semleges = neutral ¹⁸ társalgókönyv = Konversationsbuch ¹⁹ folyóirat = Zeitschrift

Quomodo Cicero occisus fuerit?

(3)

Excerpta ex opere H. Eulenbergii, quod «Cicero der Rechtsanwalt, Redner, Denker und Staatsmann» inscribitur. — Latine reddidit *Aem. Láng*.

Ciceroni ad Formianum appropinquanti turma corvorum⁴⁴ ex aede Apollinis ab illo olim exstructa advolabant. Nigrae aves, Apollini sacrae, quae crocitantēs⁴⁵ super antennam⁴⁶ consederunt, eum etiam in villam prosequuntur. Rostris parietem cubiculi, intra quod vir defessus ultimum⁴⁷ placidae quieti se tradidit, caedunt.⁴⁸ Quin⁴⁹ immo⁴⁹ unus de turma nigra in cubiculum involat et rostro de fronte iacentis vestem detrahit, qua velatus erat. Cicero enim caput obvolvit⁵⁰, ne quid videret aut audiret. Ipsi servi tardi⁵¹ superstitione⁵² teneri reique diffidere coeperunt et alites⁵³ brutas,⁵⁴ quae omnibus malis eos urgent, sibi praestare noluerunt. Virum itaque nimiis animi motibus perturbatum atque defatigatum, qui ita⁵⁵ affectus⁵⁵ erat, ut omina fausta vel infausta minime curaverit, cum alloquiis⁵⁶ tum vi leni erigunt.

Caelum nubibus obductum mari et villae incubat. Cicero veloci oculo villam peramatam percurrens lecticam conscendit, qua ad portum fertur, ut iterum navem⁵⁷ solvat.⁵⁷ Senex, quem iam vitae satietas⁵⁸ cepit,⁵⁸ saepius tristis

⁴⁴ feketevarjú = Rabenkrähe ⁴⁵ károg = laut krächzen ⁴⁶ vitorlarúd = Segelstange ⁴⁷ utoljára = zum letzten Male ⁴⁸ kopogtat = picken ⁴⁹ sőt még = ja sogar ⁵⁰ elföd = verhüllen ⁵¹ tompaeszü = stumpfsinnig ⁵² babonás félelem = ängstliche, heilige Scheu ⁵³ madár = Vogel ⁵⁴ értelmetlen = unvernünftig ⁵⁵ olyan hangulatban lenni = so gestimmt sein ⁵⁶ vigasztaló szavak = der tröstende Zuspruch ⁵⁷ elvitorlázni = absegneln ⁵⁸ vmit megün = einer Sache überdrüssig werden

susurrabat :⁵⁹ sinite, ut in patria a me toties servata moriar.

Canes Antonii aderant. Fores pessulis⁶⁰ oclusas vehementer pulsabant. Nomina eorum nota sunt. C. Popilius tribunus militum et administrator⁶¹ eius Herennius. Popilius ordine libertino ortus olim cliens fuit Ciceronis, qui eum parricidii reum ita defendit, ut a iudicibus absolutus fuerit. Sua sponte operam⁶² suam⁶² obtulit ;⁶² quem tamen post praesente Cicerone, suo quondam patrono audacia momento sceleris patrandi defecit. Sceleratissimi, patrem patriae et in Tusculano quaerebant et fugientem huc usque persecuti sunt. Furore acti fores clausas effringunt.⁶³ Avidi omnia conclavia⁶⁴ perscrutantur. Spe deposita iam abituri erant, ut eum in praedio⁶⁵ Cumano⁶⁵ aut Pompeiano⁶⁵ aut Puteolano⁶⁵ caperent, cum furtim ad eos quidam libertinus nomine Philologus (nam nomen et huius Iudae usque ad nostram memoriam remansit) adiit. Homo improbus, quem ipse Cicero artibus liberalibus imbuat, hominibus istis sanguinariis⁶⁶ in aures insusurrat lecticam nunc⁶⁷ ipsum⁶⁷ in gestatione⁶⁸ ad mare deferri. Et illi similes canibus venaticis se in pedes dabant, ut fugientem consequerentur.


Strepitus fluctuum maris in litore se illidentium unisonus⁶⁹ in aures Ciceronis iam peruenit, sed animus eius navem conscendere reformidat⁷⁰ dubius, quo cursum dirigat ; utrum ad Dyrrachium⁷¹ taediosum⁷² vela tendat, an ad bellicosas gentes, quibus pacis amans semper decesserit.⁷³ Mox audit et ictus⁷⁴ calcium⁷⁴ graves et agrestes⁷⁵ insequentium.

Illico lecticam deponi iussit et sinistra, ut ei mos erat, mento supposita in percussoribus⁷⁶ stupet. Vox spiritusque⁷⁷ torpet.⁷⁷ Intonsus et incultus, ut erat et pallore suffusus acres oculos in vultu eorum defixit. Taedium hominis et vitae eum cepit, cum inter percussores agnovit virum, quem quondam inter⁷⁸ sacrum et saxum stantem⁷⁸ ex media morte eripuit.

Paulisper secum deliberat : quid faciat? Defendat se, vim contra vim adhibeat? Qui exitus eum moneat, si forte navem conscenderit? Exulatum abeat ad orientem sequere Bruto Cassioque adiungat, qui contra triumviros bellum parent? Minime. Proximis septimanis⁷⁹ satis superque didicit mori, cum videret veterem rempublicam liberam restaurari non posse.

Qui autem mori didicit, servire dedit.⁸⁰ Ideo dedit proximo tempore signum :⁸¹ moriamur, si forte dimicatio pro libertate Romae suscepta male acciderit. Idem signum nunc ingerit⁸² coram⁸² persecutoribus. Quin⁸³ et alterutri haec verba dixisse fertur : huc⁸⁴ ades⁸⁴ et si artis⁸⁵ carnificae⁸⁵ peritus es, agendum caede, feri !


Dum servi capitibus obvolutis⁸⁶ tremefacti circumstant, Cicero cervicem tacite atque fortiter ad caedem praebebat. Herennius haesi-



tante Popilio gladium destrinxit. Carum caput tertio tantum ictu in terram cecidisse fertur. Iussu Antonii dextra manus interfecti decisa

⁵⁹ suttog = flüstern ⁶⁰ retesz = Riegel ⁶¹ cinkostárs = Helfershelfer ⁶² szolgálatát följánlani = seinen Dienst anbieten ⁶³ betör = erbrechen ⁶⁴ szoba = Zimmer ⁶⁵ C. birtoka Cumae, Pompeii, Puteoli mellett = ein Landgut Ciceros bei Cumae, Pompeii, Puteoli j. Pozzuoli ⁶⁶ vérszomjas = blutdürstig ⁶⁷ éppen most = so eben ⁶⁸ faszor = Allee ⁶⁹ egyhangú = eintönig ⁷⁰ visszariad = zurückbeben ⁷¹ ma : Durazzo = j. Durazzo ⁷² unalmas = verdrüsslich ⁷³ kitérni = ausweichen ⁷⁴ lábdobogás = Fusstritt (calx = sarok = Ferse) ⁷⁵ otromba = plump ⁷⁶ (felbérelt) gyilkos = ein (gedungener) Mörder ⁷⁷ lélekzete elállt = jeder Atemzug war erstorben ⁷⁸ mikor a kés a torkán volt (közm.) = als das Messer ihm zu der Kehle sass (Sprichw.) ⁷⁹ hét = Woche ⁸⁰ kitanul vmből = etw. verlernen ⁸¹ jelszó = Losung ⁸² szemébe mond = etw. ins Gesicht sagen ⁸³ sőt, = sogar ⁸⁴ jöjj ide = komm hieher ⁸⁵ hóhémesterség = Henkersdienst ⁸⁶ elföd, betakar = verhüllen

est, qua XIV orationes illas famosissimas in Antonium scripserat. Percussores his insignibus victoriae tristibus decori Romam redierunt, ut ab Antonio mercedem sceleris acciperent.



Ruinae villae Ciceronis Tusculanae.

Caput et dextera Romae in rostris collocata erant. Fulvia, uxor Antonii linguam Ciceronis crinali⁸⁷ acu⁸⁷ repetitis ictibus multisque exsecrationibus,⁸⁸ feminea rabie transfixit.

Corpus a servis fidelibus combustum erat, et cineres ossaque collecta ad viam sepulchro condita sunt.

Etiam nunc temporis turris rotunda inter vineta ab incolis ostenditur, ubi Cicero sempiterno⁸⁹ sopitus⁸⁹ sommo⁸⁹ quiescere dicitur.

Finis.

⁸⁷ hajtű = Haarnadel ⁸⁸ átkozódás = Fluchen, Verwünschung ⁸⁹ örök álomba merűlve = in einen ewigen Schlaf verfallen

Nidus hirsutus.¹

Secundum fabulam Kiplingianam Latine narravit
G. Kaul, dr.

Aestate cuncti pueri trichilas² aedificare consueverant, post hortos scholae in colle genistis³ pleno, tamquam castella e dumetis⁴ exsecta atque truncis fruticum,⁵ radicibus nodosis, spinis permunita. Vetita, hercle, res et illicita!⁶ Sed ideo pueris gratissima et quasi paradusus! Quinque aestates continuas Staxius, Puter, Scarabaeus, ut castores,⁷ tales specus aperuerant,

ubi bonā cum pace meditari et tabaci fumo frui possent.

Sed quamquam neque professor Proutius, praefectus domui, neque Foxius, accensus⁸ scholasticus,⁸ ille rutilus⁹ capillis insignis, pueris satis confidebant, tamen isti nondum potuerant convinci. Foxius, qui perspicillo¹⁰ ornatus et levissimos calceos indutus vagari solebat, iam pridem ad finem pervenisset. At non sine numine quodam factum est, ut Proutius, quem propter ingentes pedes «Ungulam» vocabant, suo periculo investigare inciperet! Staxius fuit, ille verutissimus, qui aliquando vestigia Ungulae in suis ipsius castris agnovit. Attonitus novitate fumatoria¹¹ corripuit, ramenta¹² sulfurata¹² everrit, praeceps domum cucurrit, Scarabaeum et Putrem certiores factururus. In itinere forte obvius factus est magistro Hartoppio, qui «societati naturali» praeerat. Nam illi discipuli, qui huius societatis membra erant, licentiam habebant, ut scientiae inservientes, longius et ultra fines progrediendi. Antea Staxius istam scientiam contempserat et reicerat. At tunc subito oravit, ut ipse et Scarabaeus et Puter, tamquam repentino studio florum, papilionum,¹³ scarabaeorum¹⁴ capti, in «societatem naturalem» asciscerentur.

Domi Staxius cum amicis, quae facta essent, communicavit: Ungulae vestigia se in castris agnovisse; fumatoria abscondisse; non posse amicos eo reverti, cum trichilam custodiri appareret; imprimis autem pueros ab Hartoppio in «societatem naturalem» esse receptos.

«Nonne vir magnus est vester Staxius?»

«Vir maximus!» inquit Scarabaeus.

At nunc, quid faciendum? Haud ita multo post amici profecti sunt: Staxius thecā herbariā, Puter malleo¹⁵ geologico, Scarabaeus reticulo papilionum extractus. «En venatores cimicum!»¹⁶ inquit Staxius cachinnum¹⁷ tolens.

Celeri cursu secundum oram maritimam

¹ tövises = stachelig ² lombátor = Laubhütte ³ re-kettyés = Ginster ⁴ tövisbokor = Dornbusch ⁵ bozót = Gesträuch ⁶ tilos = unerlaubt ⁷ hód = Biber ⁸ iskolaszolga = Schuldienner ⁹ vörös = rötlich ¹⁰ távcső = Fernglas ¹¹ pipák = Pfeifen ¹² kénes gyufa = Schwefelstreichhölzer ¹³ lepke = Schmetterling ¹⁴ bogár = Käfer ¹⁵ kalapács = Hammer ¹⁶ poloska = Wanze ¹⁷ kacagás = Gelächter

occidentem versus ibant; neque cuniculos¹⁸ neque papiliones animadvertabant; et quid Puter de geologia censuerit, potius tacendum est. Tandem in nemus quoddam pervenerunt altā genistā florente, densis rubetis,¹⁹ ilicibus²⁰ aquifoliis consitum. Haud procul, in loco gramineo, erant plurimae tabulae²¹ monitoriae:²² «Quicumque haec loca intraverit, apud iudices reus fiet! G. M. Dabneius, tribunus²³ militum²⁴ quondam».

«Nunc caute per dumeta rēpendum est!» inquit Staxius. «Nonne hic vulpeculas olet?» Homo quidam scolopeto²⁵ exstructus e longinquo apparuit. «Ecce saltuarium!»²⁶ «Abeat²⁷ in malam²⁸ crucem!»²⁹ «Cedamus in silvam, ne deprehendat nos iste Dabneius, tribunus militum!»

Subito scolopetum saltuarii bis sonum edidit. Aliquod grave corpus per genistas erupit. Aufugit — vulpecula!

«Quod ego tribuno Dabneio nuntiabo», inquit Puter, «statim ad villam eius ibo!»

«An mente²⁶ captus²⁶ es? Ille nos indicabit et nos coram cunctis discipulis vapulabimus!»²⁷ Nostri memor esto!»

At Puter: «An putas hoc ad nos attinere? Ad saltuarium attinet!»

Puter, subito superbus et elatus²⁸ ad locum gramineum progressus est, ubi senex quidam ambulabat albā barbā ornatus.

«Tune es Dabneius, tribunus militum?» At ille furiatā mente iurgans:²⁹

«Quid mihi vis, sceleratissime?» inquit, «vos phasianos³⁰ meos turbavistis! Vos nidos compilavistis! Nonne meas tabulas monitorias vidistis? Statim nomina vestra dicite!»

Tum Puter, — quippe cuius pater quattuor milia iugerum³¹ agri possideret, et qui ipse venationis peritissimus esset — criminose rogavit:

«Tune vulpes vēnaris? Utrum tu, an saltuarius tuus? Immo etiam vulpeculas? Hōc anni tempore? Tempore parcendi? Ista quidem caedes est!»

«An nescis, quis sim?» murmuravit ille obstupefactus.³²

«Et si filius regis ipse esses», inquit Puter, «utrum vulpes vēnaris an non?»

«Equidem non vēnor!» ille mussitavit.³³

«Tum saltuarius tuus expellendus est! Indignus est! Hoc anni tempore vulpeculam vēnatur!»

«Veniam³⁴ peto!» inquit senex, «milies veniam peto! Dic age, quid factum sit!»

Tum Puter cuncta narravit, mox ut discipulus, mox ut vir summo loco natus.

«Recte», inquit senex, «rectissime! Non sine causa egisti!» Dabneius, tribunus militum, nunc ut vir cum viro colloquebatur. «Piscator³⁵ erat ille, antequam saltuarius meus factus est. Pater tuus optime te educavit. Utinam illum cognoscere possem!



Licetne vobis aliquid apponere? An cerevisiam³⁶ et aliquid cibi? Vulpeculam iste venatus est? Piscator fuit, piscator hodie iterum fiet!»

Lautissime epilati sunt discipuli. Deinde invitati, ut iterum venirent, quotienscumque libēret...

Posteris diebus pueri negotia scholae minime curaverunt. Licebat eis vagari³⁷ in toto Dabnei tribuni praedio, quod summa cum diligentia explorabant. Licebat eis per ianuam maximam intrare, — iam accepti³⁸ erant ostiario et uxori eius — vel per nemus ascendere et secundum oram redire. Ibi erant latebrae gratissimae eorum. Ibi prudenter occultaverant fumatoria et tabacum. Ille locus nunquam poterat expugnari...

Finis sequetur.

¹⁸ tengeri nyúl = Kaninchen ¹⁹ szederbokor = Brombeergesträuch ²⁰ magyalfa = Steineiche ²¹ tilalomfa = Warnungstafel ²² ezredes = Oberst ²³ puska = Flinte ²⁴ erdőkerülő = Waldhüter ²⁵ ördög vigye el! = gehe zum Henker! ²⁶ elment az esze = verrückt werden ²⁷ elpáholnak = Prügel bekommen ²⁸ büszke = stolz ²⁹ szid = schelten ³⁰ fácán = Fasan ³¹ hold = Joch ³² elálmélkodva = verblüfft ³³ dörmög = brummen ³⁴ bocsnát = Entschuldigung ³⁵ halász = Fischer ³⁶ sör = Bier ³⁷ kóborol = umherschweifen ³⁸ szívesen látott = willkommen


Librorum recensio.

Thomas Stretzinger: Oratio de Divo Leopoldo III. Austriae marchione in universitate Vindobonensi habita. Edidit *Hermannus Maschek*. Bibliotheca scriptorum medii recentisque aeavorum. Saeculum XVI. Redigit *L. Juhász*, Szeged, 1934. Lipsiae, Teubner. — Editor introductionem de Thoma Stretzinger eiusque editione item de vita Leopoldi III. scripsit, atque orationi adnotationes criticas et indicem nominum addidit.

A kis Horatius az ütlegelő Orbilius iskolájában (Rómában, 53.-ban Kr. e.). Egy kis latin színdarab (a latin casus-tant tanuló kis diákjaink számára). Horatius születésének 2000-ik évfordulójára írta Bielek Dezső tanár. A színdarab magyar fordítása. (A latin szöveg a Iuventus 1935 febr. és márc. számában.) Budapest. A Pesti Lloyd-Társulat könyvnyomdája. Kapható a Iuventus kiadóhivatalában.

Dr. Fleisch—Reichenau (Insel) : In Walafridi decessum. Klage um Walafrid. Typis Ios. Huggle et Fili, Cellae Rattoldi (Radolfzell). Auctor huius editionis bilinguis praeter textum Latinum hexametrum etiam translationem Germanicam item in hexametris compositam publicat introductione de vita et operibus Walafridi adiuncta; adnotationes et pulchra topia utilitatem libri magnopere augent.

Kerényi Károly : 1. Ókortudomány. 2. Az antik költő. 3. Levél Romániáról egy magyar íróhoz. 4. Levél egy feladatról Kardos Lászlóhoz. Kecskemét, 1935. Haec opuscula in ephemeride periodica «Válasz» publicata nunc separatim ab auctore eduntur, cuius eruditio antiquitatis non minus quam sententiarum ordo saepe poëticus iucunditatem operibus suis afferunt.



Negotina feminea.

I. De curatione corporis hiemali.

Corpori humano mensibus hiemalibus aliâ ac diebus calidis curatione opus esse perspicuum¹ est cutemque² contra vim tempestatis tutandam esse facile intelligitur. Omnibus feminis damna sanitatis gravia capere nolentibus vestis, consuetudo vitae, praesertim curatio corporis ad hiemem immutandae sunt. Animalia naturâ contra frigus defenduntur ceteraque³ Cronio⁴ in mari⁴ septentrionali natantia defensionem contra frigus potissimam sub cute habent: adipem.⁵ Quo nosmet ipsos extrinsecus⁶ perungendo contenti simus oportet, ad quod remedium⁷ optimum atque simplicissimum est oleum. In oleo cuti apto, ad quod omnia genera olei puri herbacei usui sunt, homines per multa saecula experti sunt optima. Iam in urbe antiqua Babylone feminae

totum corpus oleo perungebant, effectus enim olei salutaris iam tum cognitus erat. Oleum simul etiam antiquum adustionum⁸ medicamentum⁹ est, quo⁹ sine⁹ medico⁹ utimur,⁹ quia effectum salutarem habere dicitur. Cum autem cutis oleo non solum aestate contra vim solis timendam defenditur, sed etiam hieme impeditur, quominus scabrior¹⁰ fiat, praecipitur, gelidis diebus hiemalibus ut post lavationem matutinam ilico corpus, inprimis os vultusque et manus unguantur. Oleum paulisper calefaciendo liquidius fit adeo, ut foraminibus¹¹ invisibilibus corporis, quae medici porus (πόροις) vocant, nullâ unctionis maculâ relictâ celeriter sugatur.¹²



Femina ampullam oleariam tenens (collectio Hope, Londinii).

Quotiescunque hieme manus lavantur, praecipitur, ut non solum accurate abstergeantur,¹³ verum etiam statim paucum unguento cutis (vulgo: *Krem*) bono unguantur. Ad quod etiam matri familias laboriosissimae paucum temporis conferendum est, nam ceterum cutis rimosa¹⁴ fit, suntque pustulae¹⁵ tam vehementes, ut hieme tardissime sanari possint.

Praeterea lavationi hieme, cum cutis pulvere et fuligine¹⁶ nimis affecta¹⁷ est, maior quam aestate cura adhibenda est. Quare curandum est, ut praesertim liberi parvi vespere accurate laventur. Genis vaporatio¹⁸ commendari potest, quae simplicissime ita fit: post-

¹ szembeszökő = einleuchtend ² bőr = Haut ³ cet-hal = Walfisch ⁴ Jeges-tenger = Eismeer ⁵ hâj = Fett ⁶ kívülről = äusserlich ⁷ (gyógy)szer = Mittel ⁸ égési seb = Brandwunde ⁹ háziszér = Hausmittel ¹⁰ érdes = rauh ¹¹ lyuk = Loch ¹² beszív = aufsaugen ¹³ letörül = abwischen ¹⁴ repedezett = rissig ¹⁵ hólyagocska, pattanás = Bläschen ¹⁶ korom = Russ ¹⁷ szenved = leiden ¹⁸ gőzfürdő = Dampfbad



quam in olla¹⁹ aliquantum aquae herbis mixtis admodum²⁰ calefactum est, flammā gasi detortā vultus super vaporem ex ollā emanantem eminus flectitur, cui manteli²¹ super caput ollamque strato externoque aëre gelido plane excluso vapor fervidus proficere²² possit. Parvulo tempore interiecto manteli dempto vultus linteolo abstergetur bonoque cutis unguento accurate ungitur. Quae si feceris, quidquid sordium est, amovebitur pustulaeque perbrevis tempore evanescent.

Color oris exsanguis,²³ quem hieme saepe et in liberis parvis et in hominibus adultis²⁴ aspicias, cum omne otium, sicut aestate, sub divo consumendum sit, ad motum corporis neglectum refertur.²⁵ Motu corporis et exercitatione in libero aëre vires iuveniles servantur monstraturque via sanationis atque curae valedudinis.

Anna Kertész abiturienti Theresiani.

¹⁹ fazék = Topf ²⁰ nagyon = sehr stark ²¹ törülköző = Handtuch ²² hatását érezteti = einwirken ²³ sápadt = blass ²⁴ felnőtt = erwachsen ²⁵ visszavezetendő = ist zurückzuführen

II. Minutal¹ leporinum¹ (fresum).¹

Carni partibus² minoribus² ambobusque femoribus leporis detractae quarta pars succidiae³ fumatae³ eiusdem ponderis, item panis⁴ siliginis⁴ lacte humectatus⁵ expressusque adduntur, quae deinde omnia minutantur.⁶ Ova incocta — pro quantitate minutalis — duo vel tria, sal, piper,⁷ cepa⁸ frixa⁸ capparisque⁹ connecta admiscuntur, ex quibus instar longi et angusti paniculi¹⁰ formatur, cui in artopta¹¹ posito cum adipem¹² duorum ovorum magnitudinis, poculum vini albi laurique tria folia addimus, cibum super ignem constantem suo liquore frequenter rigatum assamus.¹³ Donec assum minutal scindimus,¹⁴ interea in liquamine* suo florem¹⁵ lactis,¹⁵ quantum decilitrum, fervefacimus,¹⁶ postremo orysam¹⁷ vel parvas¹⁸ placentas¹⁸ ex solanis¹⁹ tubernis¹⁹ coctam apponimus.

Magdalena Fajcsék abiturienti Sophiani.

¹ faszírozott nyúl = Hasenhaché ² aprólék = Geschneide ³ füstölt szalonna = geräucherter Speck ⁴ zsemle = Semmel ⁵ áztat = einweichen ⁶ megdarál = mahlen ⁷ bors = Pfeffer ⁸ piritott hagyma = geröstete Zwiebel ⁹ kápri = Kaper ¹⁰ cipó = kleines Weissbrot ¹¹ tepsi = Pfanne ¹² zsír = Schmalz ¹³ megsüt = braten ¹⁴ felszeletel = zerschneiden ¹⁵ lé = Brühe ¹⁶ tejföl = Rahm, Sahne ¹⁷ felforral = aufkochen lassen ¹⁸ rizs = Reis ¹⁹ pogácsa = Pogatsche ²⁰ burgonya = Erdäpfel


Hypatia. (14.)

Scriptis *Carolus Kingsley*. Hungarice reddidit *Arpadus Zsigány*. Excerpsit atque in Latinum convertit: *Valentinus Fehér*.

Hypatia clementer respondet: «Ego te arcessivi. Cum heri dure me interpellasses⁷³ et laessisses, non malitiose facere visus es, sed imprudenter. Idcirco igitur te arcessivi, ut mihi persuaderem, rectene putassem. Dic ergo, cur heri veneris?» «Idcirco veni — ait voce tremula Philammo, — ut tua tibi peccata exprobrarem.⁷⁴» «Peccata mea? quae peccata? — quaerit Hypatia admirans.» «Te esse veneficam... et... et... paganam... et obstinatam⁷⁵ hostem verae religionis... Nam aiunt te...» «Qui aiunt? Fanatici calumniatores,⁷⁶ qui doctrinam sui magistri prave intelligentes⁷⁷ vi perficere conantur ea, quae ille amore exsequi nisus est. Abi, ego tibi ignosco. Error tuus excusatur adolescentiā, quod res humanas nondum cognoscere potuisti.» «Ne me repellas! — obsecrat Philammo anxius. — Nullum habeo amicum, nullam domum, nullum magistrum. Nocte aufugi ab eis, quorum fidem profiteor, quia sunt maligni atque invidi meque crudeliter tractarunt. Non audeo, non possum, nolo reverti in solitudinem, nam mille dubitationibus conficior, mille quaestionibus respondere non queo; atque horum arcanorum⁷⁸ claustra⁷⁹ tu habes. Equidem sum Christianus, sed animus sitit scientiam. Doce me ea, quae tu novisti, ut comparare possim cum iis rebus, quas ego novi... si tamen...⁸⁰ si tamen aliquid scio.»

Tum Hypatia transiit in alterum cubiculum; paulo post unā cum patre rediit: «Sequere, mi fili — ait senex. — Quae sunt reliqua, nos ambo perficere poterimus.» Cum in bibliothecam pervenissent, Theo dixit: «Tu quidem illepidus⁸¹ erga meam fuisti filiam, tamen illa tibi ignovit. Et quoniam mea tibi filia ignovit, ego quoque ignosco. Atque etsi nescio, merearisne, ecce membranam...⁸² Cum hac libere scholam filiae meae tibi frequentare

⁷³ félbeszakít = unterbrechen ⁷⁴ szemrehányást tesz = vorwerfen ⁷⁵ megátalkodott = hartnäckig ⁷⁶ rágalmozó = Verleumder ⁷⁷ félérérű = missverstehen ⁷⁸ titok = Geheimnis ⁷⁹ zár, kulcs = Schlüssel ⁸⁰ ugyan = sonst ⁸¹ goromba = unfein ⁸² Pergament



licebit. Nunc abi et discite philosophum vere facere id, quod Christiani tantum praedicant: malum bono rependere.

Philammo cum in plateam egressus esset, gauderetne, an doleret, ignorabat. «Quid novi?» — ait ianitor prosiliens. — «Apud te habitabo — respondet Philammo, — Sed ne quaeras amplius.»

*

Quindecim diebus post sol iam occiderat in Thebana solitudine, cum Pambo et Arsenius post longam ambulationem in monasterium redierunt. Domi iam exspectabat abbatem sacerdos quidam sole adustus. ⁸³ Pambo quaesivit ex eo, quid ageret.

— Ego sum Petrus lector — ait advena — et Aufugo patri litteras et nuntium a Cyrillo patriarcha attuli.

— Famā bonā te novimus — inquit Pambo. — Nisi moleste fers, sequere nos in cellam Aufugi.

Arsenius litteras, quas ei Pambo tradiderat, bis perlegit; deinde tristi vultu in manus declinato diu cogitavit.

— Dies iudicii adesse videntur, quos propheta memoravit . . . Ergo reapse ⁸⁴ Heraclianus in Italiam profectus est?

— Alexandrini nautae iam viginti duobus ante diebus viderunt classem eius in alto ⁸⁵ — respondet Petrus.

— Et Orestes clam cum eo conspirat?

— Pro dolor, ⁸⁶ iam non furtim, sed aperte ad eum defecit. ⁸⁷ Atque hoc femina illa pagana fecit.

— Femina illa pagana — iterat ⁸⁸ Arsenius — plus nocet Ecclesiae nostrae, quam omnes sectae ⁸⁹ haereticae. ⁸⁹

— Patriarcha indiget tuo auxilio et consilio — ait Petrus. — Per me te rogat, ut Alexandriam venias.

— Ego? Quis ego sum, indignus Domini servus, qui tantopere sublimer? ⁹⁰ Me, qui humanas tentationes fugerim, nunc rursus cogere vultis, ut in unguis satanae redeam?

— Non est ita — reprehendit abbas. — Si te patriarcha arcessit, oboedire debes. I et Deus sit dux tui itineris. Abi et require nostrum filium et de eo renuntia nobis.

— O ut ego eius oblitus sum! — ait Petro. — Ut valet filius noster carissimus, Philammo, quem tribus mensibus ante misimus Alexandriam?

— Philammo? . . . apostata ⁹¹ factus aufugit, et gravat eum, ut Iudam, execratio. ⁹² Nondum tres dies erat apud nos, cum palam in cavaedio domus patriarchae mihi colaphum ⁹³ incussit et abiectā Christianā religionē Hypatiae se adiunxit.


— Hoc fieri non potest! — clamat Pambo singultans. — Male certe iniusteque eum tractavistis; is enim apud nos mansuetudine ⁸⁴ atque amore consuevit. At Deus a vobis exigit huius rei rationem. ⁹⁵

— Ah, haecine est iustitia? — exclamat Petrus acriter. — Accusa me, accusa patriarcham, accusa omnes: modo sontem ⁹⁶ excuses. Quasi is sit primus, quem pulchra femina a via veritatis abduxerit.

— O mi fili, Absalom! — gemit Arsenius. — Poterone te reperire atque educere castris Madianitarum?

Ad numerum proximum.

⁸³ napbarnitotta = sonnengebräunt ⁸⁴ csakugyan = wirklich ⁸⁵ sík tengeren = auf hoher See ⁸⁶ fájdalom! = leider! ⁸⁷ elpártol = übergehen ⁸⁸ ismétél = wiederholen ⁸⁹ eretnek-felekezet = Ketzer-Sekte ⁹⁰ felmagasztal = erheben ⁹¹ hitehagyó = Abgefallener (von seinem Glauben) ⁹² átok = Verfluchung ⁹³ arculütés = Faustschlag ⁹⁴ nyájasság = Sanftmut ⁹⁵ számadás = Rechenschaft ⁹⁶ bünös = der Schuldige



GEOGRAPHICA.

Peregrinationes aestivae. II.

Scriptis Car. Acs.

Brigantii morantes Constantiam navi excurrendi³⁹ consilium cepimus. Die 13. Iul. postquam pro⁴⁰ vectura solvimus,⁴⁰ portum intrantes navem nos Constantiam portaturam iam in ancoris⁴¹ stantem⁴¹ repperimus. Tintinabulo signum datur, navem conscendimus. Navis, quae Baden appellatur, est satis magna, hilari nitore lautâque munditiâ insignis. Paulatim vectoribus completa in altum evehitur. Oram⁴² litoris⁴² legentes⁴² ad portum Lindavia⁴³ iam in Bavaria situm adlabimur. Dum navis hic deligata moratur, syngraphi⁴⁴ nostri a portitoribus diligenter excutiuntur⁴⁵ Navis inde e portu solvit⁴⁶ atque cursum tenens portus Friedrichshafen, Langenargen, Nonnenhorn et alios praetervecta apud Meersburg cursu mutato Constantiam versus tendit. Serenissimâ tempestate vecti iucunditate itineris et amoenitate locorum lacum circumiacentium perfruiimus. Parte dexterâ collibus segetibus flaventibus⁴⁷ consitis et viridantibus pomariis tectis oculos pascimus, laevâ in montes Helveticos gradatim⁴⁸ se attollentes acies⁴⁹ nostra dirigitur. Navigantes larorum⁵⁰ grex usque⁵¹ comitabatur. Quam iucundum erat visu, cum lari ex sublimi sese praepeti volatu praecipitantes frustra⁵² panis in aquam proiecta rostris avidè arripiebant!

Sic nos oblectantes post horarum trium cursum denique Constantiam appulimus.⁵³ Oppidum haud ita magnum — habet enim non plus 33.000 incolarum — ingredientibus celebritas et frequentia hominum in publico⁵⁴ commentium⁵⁵ in oculos incidit; neque poteramus satis non mirari in antiquissimo oppido tabernarum nostrae aetatis speciem repraesentantium lautitiam⁵⁶ et nitorem.⁵⁶ — Est enim Constantia oppidum antiquissimum, cuius origo ex Romana antiquitate repetatur referuntque est antiquorum aedificiorum reliquiis, inter quas eminet aedes cathedralis⁵⁷ cui cum saeculo X. collapsa esset, ab a. 1052 ad a. 1089 romanensi⁵⁸ structurae genere⁵⁹ denuo aedificatae procedentibus saeculis subinde complures⁶⁰ accessiones* adiungebantur. Interiores aedis partes summo sunt artificio exornatae.

Est deinde una ex antiquissimis aedibus domus⁶¹ sodalicia⁶¹ catholicorum, quae originem ab a. 936. trahit. Memoratu dignae sunt aedes Hussitarum, in quibus Iohannes Hus a. 1434. habitavit, nec non lapis Hussitarum, ubi I. Hus a. 1415. rogo impositus crematus est.

³⁹ kirándul = Ausflug machen ⁴⁰ az átkelését megfizetni = die Überfahrt bezahlen ⁴¹ horgonyoz = vor Anker liegend ⁴² a part mentén hajózva = an der Küste entlang hinschiffen ⁴³ Lindau ⁴⁴ útlevel = Reisepass ⁴⁵ megvizsgál = untersucht werden ⁴⁶ elindult = lichtete den Anker ⁴⁷ sárgálló = goldgelb ⁴⁸ lépcsőzetesen = stufenweise ⁴⁹ tekintetünk = unser Blick ⁵⁰ sirály = Möwe ⁵¹ végig = fortwährend ⁵² darabka = Brocken ⁵³ kiköt = landen ⁵⁴ az utcán = auf den Strassen ⁵⁵ járókelő = verkehren ⁵⁶ pompa, fény = Pracht, Glanz ⁵⁷ székesegyház = Münster ⁵⁸ román = romanisch ⁵⁹ stíl = Stíl ⁶⁰ többször = zu wiederholten Malen *hozáépítések = Zubauten ⁶¹ társulati ház = Vereinshaus



Constantia.

Sunt praeterea quaedam patriciae visendae domus, ut eae, quae vocantur Malhaus et domus Barbarossa. Sed longum est longam aedificiorum artificio ac vetustate insignium enumerare seriem.

Constat flumen Rhenum haud procul Brigentio in lacum Brigantium influere et apud Constantiam profluentem Helvetiam versus cursum⁶² tenere. Longis erroribus et rerum visendarum contemplatione fessi prope hoc effluvium⁶³ assidentes taciti et cogitabundi⁶⁴ spectabamus cis pontem ultraque euntium redeuntiumque fluitantem⁶⁵ turbam et automobilium citatos cursus.

Appetente⁶⁶ vespere tandem ad portum rediimus Brigantium reversuri. Circa horam septimam in navem inscendimus. Sol iam obscurā luce ad occasum⁶⁷ vergens⁶⁷ globum rubrum in undas nigrescentes immergens purpureis radiis per aequor infinitum sparsis igneo colore ex aqua effulget, montium colliumque extrema⁶⁸ lineamenta⁶⁸ tenebris obscurata vix cernuntur, stellae in caelo furvo⁶⁹ tremulis fulgoribus micant, ex turri⁷⁰ alta portus Lindauensis nocturnus ignis cursum navium per caliginem regens huc illuc vibrat.

Iam tandem nave ad portum Brigantium appulsa in terram escendimus. Altero die curru vi electrica acto in pagum Lustenau excurrentes⁷² inde per pontem Rheni late et velociter fluentis nitidum in proximum pagum Helvetiae St. Margrethen transgressi sumus saltem,⁷³ ut angulum extremum Helvetii viseremus.

Aliquot diebus Brigantii transactis⁷⁴ eādem, quā veneramus regione⁷⁵ reversi desiderio iam laris⁷⁶ familiaris⁷⁶ tabescentes⁷⁷ post longas peregrinationes die 4. mens. Aug. in patrio solo⁷⁸ pedem posuimus.

Finis.



⁶² folyás = Lauf ⁶³ kifolyás = Ausfluss ⁶⁴ gondolatokba merülve = in Gedanken versunken ⁶⁵ hullámzó = wogend ⁶⁶ közeledtével = bei Anbruch ⁶⁷ leáldozó = zur Rüste gehen ⁶⁸ körvonalai = Umrisse ⁶⁹ bakacsin = tief-schwarz ⁷⁰ világítótorony = Leuchtturm ⁷² kirándul = Ausflug machen ⁷³ legalább = wenigstens ⁷⁴ eltölt = zubringen ⁷⁵ irány = Richtung ⁷⁶ otthon = des Heim ⁷⁷ gyötör = schmachten ⁷⁸ föld = Boden.



Nationum Societas nuper, dum in Aethiopia acerrime pugnabatur, Genavae in novam sedem demigravit. Multis diebus opus erat, dum innumerabilia supellectilia, libri atque documenta in novum aedificium transportata disponerentur. Interim ab Italis duo exercitus hostium in Abyssinia unā cum ducibus *Ras Cassa* et *Ras Seium* fusi fugatique sunt, dux autem tertii exercitus, *Ras Mulugetha* a suis ipsius militibus occisus est. Tamen sanctiones institui non potuerunt, quia Italia oleo prohibito¹ Nationum Societatem statim relinqueret, quae si post Germaniam, Iaponiam et Civitates Foederatas Americanas etiam ab Italis relinqueretur, multo minus valeret.

Oratio Hitleri ducis necopinata² animum omnium ab Africa ad Rhenum abducit; hanc enim provinciam ex pacto Locarnensi militibus vacuefactam³ Germani aegre ferentes, quod Galli cum Russis foedus militare redintegravissent, obsesserunt atque aequabilitate⁴ iuris⁴ sibi recuperatā pares cum paribus de pace Europae agere volunt: adduci⁵ posse⁵ se dicunt, ut in Nationum societatem redeuntes cum finitimis nationibus

¹ korbátöz = einschränken ² váratlan = unerwartet ³ kiürített = entmilitarisiert ⁴ egyenjogúság = Gleichberechtigung ⁵ hajlandó = bereit sein

foedus⁶ non-aggreendi⁶ icant, cuius diuturnitas 25 annorum sit, sed etiam quasdam provincias extra Europam sibi repossunt. Quamquam subscriptores foederis Locarnensis, inprimis Galli indignantur et sanctiones Germanis minitantur, tamen Anglis temperantiam servantibus speramus fore, ut novum bellum evitari possit.

Abnormitas⁷ tempestatis ubique homines terret. In Europa hiems solito brevior erat adeo, ut agros non nives, sed inundationes aquarum obruerent. Contra in America frigus bacchabatur⁸ permultique incautorum perierunt. Imagines nostri Stephanopolim⁹ inundatam deiectumque¹⁰ aquae¹⁰ Niagarae congelatum¹¹ ante oculos ponunt.

Amstelodami custodes publici equo vecti, ad quos in tenebris automobilia saepe allidebantur,¹² ut iam eminus conspicui evitari possint, in sinistra stapia¹³ lucernam rubram gerunt.

Missa pro defunctis in mari profundo. In portu militari oppidi Tarenti in navi submarina maris¹⁴ aequore¹⁴ 30 metris profundius submersa archiepiscopus cardinalis Tarenti praesentibus praefecto classis magistratibusque civilibus manes¹⁵ in bello Aethiopico mortuorum¹⁵ precibus¹⁵ expiavit,¹⁵ dein orationem funebrem ad milites aliosque auditores consolatione et adhortatione plenam habuit, quae a societate radiophonica divulgata est.

In Japonia rebellione militari exortā nonnulli primorum interfecti sunt. Sed mox, cum seditiosi se dedere cogerentur, duces eorum mortem¹⁶ voluntariam¹⁶ (sermone Japonensium «harakiri» dictam) sibi¹⁶ quisque consciscendo¹⁶ seditionis poenas dederunt.

Josephus archidux,¹⁷ cuius etiam maiores Hungaris semper cari atque accepti erant, cum Adalbertus e nobilibus *Berzeviczy* propter aetatem propectam officio praesidis Academiae Scientiarum Hungaricae se abdicavisset, omnium consensu praeses creatus est. Archidux, quondam dux belli mundani, res gestas exercituum nostrorum accurate conscribendo libros tantā



laude dignos nationi suae donavit, ut merito Academiae praesae aestimaretur.

⁶ megnemtámadási szerződés = Nichtangriffspakt
⁷ szabálytalanság = Regelwidrigkeit ⁸ dühöng = toben
⁹ Rimaszombat ¹⁰ vízesés = Wasserfall ¹¹ befagy = zugefroren ¹² nekimegy = anfahren ¹³ kengyelvas = Steigbügel ¹⁴ tenger színe = Meeresspiegel ¹⁵ az elhunytak lelki üdvéért misét mond = eine Messe für die abgeschiedenen Seelen lesen ¹⁶ öngyilkosságot elkövetni = Selbstmord begehen ¹⁷ főherceg = Erzherzog

Fuga mea ex Transsilvania. (4)

Historia vera. Commentarios *Victoris Maderspach* Latine libere reddidit *I. Guelmino*.

IV. Apud amicos.

Ex laboribus plane reffectus in vastitate¹ silvarum¹ in operto² bono expergiscor et etsi prunae etiam nunc diffundunt teporem, me nec ramalibus nec lignis parcentem³ maxime iuvat otiose extēdi in lecto⁴ ex fronde abietum

¹ őserdő = Urwald ² fedezék = Deckung ³ kímél = sparen

strato,⁴ circumdari calore, delectari flammis et meminisse, heri me in aqua gelida nivibusque paene perisse et tamen omnia duravisse, omnia superavisse. Iuvat in animo videre me a persecutoribus sub omnibus foliis quaeri, meos amicosque orantes metuere, ne capiar, omnesque ingenti expectatione teneri etiam, cum iam cacumina⁵ montium superaverim, meque hic ad ignem benignum nullis rebus egentem sperare fore, ut iam citra muros niveos Retyezát, quos illi neminem nisi alites⁶ superare posse arbitrabantur, mihi in descensu manus illorum effugere contingat.⁷ Supinus⁸ iaceo in lecto cernoque nubes velis cum candidis per immensum coeli ad occidentem versus navigare et cum illis volat cupiditas desideriumque meum omne. O utinam vobiscum navigare possem! Alas autem vere non habeo. Aspiens autem forte calceamenta iuxta lectum aquā dissoluta,⁹ video solum¹⁰ alutā¹¹ discessisse, clavosque ligneos e solo velut dentes siluri¹² morticini¹³ prominere. De coelo in terram praecipitatus arripio, manibusque voluto, an possint reparari: alutam autem cedere pollici aggravanti et, velutsi putida esset, friari,¹⁴ oculis ipse cerno. Calceamentis igitur in ignem missis, pileum vocat¹⁵ ordo¹⁵ rerum,¹⁵ qui in duas partes divisus et fasciis de loro



Niagara congelata (pag. 107.).

sclopeti scissis pedibus applicatus me iterum «calceatum»¹⁶ reddit. Aspicio nunc vestimentum pluviā, aquā, niveque totiens madefactum; ¹⁷ sale, corpore, vel igne fumoso iterum atque iterum siccatum et foede¹⁸ olens¹⁸ esse constituo. Panni ¹⁹ mei saponem²⁰ cupiunt. Lardo igitur obliti²¹ cinereque aspersi, ut foetore²² liberentur, elavantur in rivo. Post et lintea, postremo — dum vestes de ramis circum ignem pendentes siccantur — et ego ipse maximo cum gaudio labor in aqua limpida, unde vigore²³ corporis animique adaucto homo novus egredior. Quantae deliciae sordibus²⁴ liberari! Si autem, lector optime,²⁵ me consuleres, persuaderem tibi melius esse domi in balneolo²⁶ tuo aquā tepidā et sapone odorato²⁷ lavari. Res optime geruntur, pollex tantum morsus purulentus²⁸ est. Ceterum totus dies quieti datus. Sed sole iam inclinante²⁹ se secundum rivum loquacem (nomine *Lapuzsnyik*) descendens, transgressusque ponticulum angustum ad pistrinum³⁰ serrarium³⁰ tendo — notum mihi et aquā adauctā rivi motum — cui praeest vir per amicos notus, Italus *Carlo*, praedo ferarum³¹ famosus,³² qui carne ferinā nunquam egere, benevolentia autem erga omnes abundare dici solet. Ecce casam truncis³³ abietum aedificatam! Et dum cum cane, qui ingenti latratu me petit, bellum gero, herus e casa egressus canem recedere et me procedere iubens, interrogat, quis sim, quidque velim.

«Ego sum Rodolfo — respondi lingua Italianā — filius Antonii Possudetti.» Tunc ille me adiit oculis in me defixis,³⁴ quasi diceret: «Tu es? Te cognovi! Scio, cur constiteris ante me pedibus nudis. Sile³⁵ autem,» significavit digito ori admoto, et alta voce: «Ingredere!»

⁴ ágyat vet = Bett machen ⁵ tető, orom = Gipfel
⁶ madár = Vogel ⁷ osztályrészlül jut = zuteil werden ⁸ hanyatt = auf dem Rücken ⁹ szétment = zerweicht ¹⁰ talp = Schuhsohle ¹¹ bőr = Leder ¹² harcsa = Wels ¹³ döglött = krepirt ¹⁴ szétmálni = zerbröckeln ¹⁵ rákerül a sor = die Reihe kommt an etw. ¹⁶ cipős ember = beschuht ¹⁷ átázott = ganz nass geworden ¹⁸ gyalázatos szagú = stinkend ¹⁹ rongy = Fetzen ²⁰ szappan = Seife ²¹ beken = beschmieren ²² bűz = Gestank ²³ frissesség = Lebenskraft ²⁴ piszok = Schmutz ²⁵ nyájas = freundlich ²⁶ fürdőkáád = Badewanne ²⁷ illatos = wohlriechend ²⁸ gennyes = eiterig ²⁹ lemenőben van = sinken ³⁰ fűrésztelep = Sägemühle ³¹ orvvadász = Wilddieb ³² hírhedt = berüchtigt ³³ a törzs = Stamm ³⁴ szegezni = heften, richten ³⁵ csöndben lenni = still bleiben

iussit. Intus carnem ferinam,³⁶ coffeam, caeseum apposuit: «Ede!»

Cum autem aliquis sub tegulis³⁷ voce Valachicā, quis essem, sciscitatus³⁸ esset «Barabas quidam», respondit. Barabas nominatur in illa regione, qui pauperrimus, heluo,³⁹ fugiens laboris,⁴⁰ extorris vitam inopem sustinet. — Iste sub tegulis nihil amplius sciscitatur, quasi timens, ne ad se mittar et cum Baraba quodam cogatur pernoctare. Mihi autem in angulo⁴¹ faeneus⁴² lectus paratur et stragulo⁴³ tectus in manibus Dei, hominisque misericordis obdormisco. Cum herus⁴⁴ me surgere iubet, cubiculum iam sole adimpletum erat. Soli sumus. Iste Valachus abiit ante lucem. Ille primus attulerat hero suo nuntium de clade mea, meditans, quam bene eveniret, si de me pretium sanguinis accipere posset. Carlo, etsi omnium rerum conscius, non de hac se copiosius⁴⁵ sciscitatur, contra libenter mihi auxiliatur vendens calceos optimis clavis praeparatos permutansque⁴⁶ cum sclopeto, quod iam plus mihi noceret in regione habitata quam prodesset, ovigranata⁴⁷ duo. Pollicem purulentum unguento ex cera et oleo facto alligat. Postremo bene satiatum itineri admittit. Gra-tiis actis, quamquam illi me ad oppidum Orsova Danubium traiecturum dixi, itinere unius horae facto ad occidentem versus silvae arduae⁴⁸ me infero et ascendens fagis, mox abietibus et demum iuniperis⁴⁹ leviter relictis (in calceamentis optimis!) non multo post meridiem descendens in silva comitatus⁵⁰ Krassó-Szörény pergo.⁵¹ Pastores me ubique amice tractant. Mihi autem festinandum est, ut ante tenebras ad pistrinum serrarium amici (Zoltán) adsim. Quo cum pervenissem, eumque ante casam in medio horto vidissem, transiens coloniam⁵² operariorum⁵³ cantu tibiārum fidiumque⁵⁴ sonantem, hortum intro et priusquam retineri



Regina Batavorum cum filia. (pag. 110.)

esse potuissem, amicū adii, eique secreta notum me feci. Zoltán, cum hortulanum⁵⁵ adversus nos festinare videret: «Te eiici patere! — dixit quietissime. — Post horae spatium ad saepem,⁵⁶ quae silvam dividit a horto, me invenies».

Omnibus ita factis mihi lintea pura, vestem lautam,⁵⁷ perones,⁵⁸ galerumque⁵⁹ tradit, et: «Nunc — inquit — redit currus⁶⁰ meus a statione, quo tu ad me veheris».

Revectus nomine Elemér cum gaudio excipior, et lotus, sed ut facies mutetur, barbā tantum de mento⁶¹ rasā,⁶² inter coenam quid mihi porro faciendum sit, tractatur. (Continuabitur.)

³⁶ vadpecsenye = Wildpret ³⁷ padlás = Dachgeschoss ³⁸ tudakozódni = sich erkundigen ³⁹ korcsma-töltelék = Lump ⁴⁰ munkakerülő = arbeitsscheu ⁴¹ sarok, szöglet = Ecke ⁴² szénából = aus Heu ⁴³ pokróc = Kotzen ⁴⁴ házigazda = Hausherr ⁴⁵ részletesen = ausführlich ⁴⁶ elcserél = tauschen ⁴⁷ tojásgránát = Eiergranate ⁴⁸ meredek = steil ⁴⁹ boróka = Wachholderstrauch ⁵⁰ megye = Komitat ⁵¹ halad = weiter gehen ⁵² telep = Siedlung ⁵³ munkás = Arbeiter ⁵⁴ zeneszó = Musik ⁵⁵ kertész = Gärtner ⁵⁶ kerítés = Gehege ⁵⁷ előkelő = fein ⁵⁸ csizma = Stiefel ⁵⁹ sapka = Kappe ⁶⁰ kocsi = Wagen ⁶¹ áll = Kinn ⁶² leborotvál = rasieren




Olympiis hibernis finitis ordo punctorum, quae singulae nationes tulerunt, hic est: I. Norvegia 7—5—3. II. Germania: 3—3—0. III. Suecia: 2—2—3. IV. Finnia: 1—2—3. V. Civitates Unitae Sept. Amer.: 1—0—3. VI. Austria: 1—1—2. VII. Britannia: 1—1—1. VIII. Helvetia: 1—2—0. IX. Canada: 0—1—0. X. Hungaria et Gallia: 0—0—1.

Novi cumuli mundani¹ a) *Arthurius Schwab* tres² horas² vadendo² 34.777 metra confecit (cumulus vetus Angli *Galoway*: 34.590.). b) Discus *Andersson* Sueci 53.02 metra pervolavit. c) *Kiefer* tempus terginatationis³ 450 pedum (= 150 yard) correxit; mirabilis cumulus est: 1 : 32.3.

Juliana, filia *Guilelminae* reginae Batavorum, soleae⁴ nivalis⁴ studio insignis est. Mense praeterito in montibus Tirolicis huic exercitationi indulisit, uti imago nostra docet, dum regia mater ambulando aut trahē⁵ vecta excursiones fecit.

¹ Rekord ² 3 órás távgyaloglás = Dreistundengehen
³ hátúszás = Rückenschwimmen ⁴ si(jelés) = Ski(fahren)
⁵ szánkó = Schlitte



LECTARIUS MINIMIS.

Somnus malus.

Vicinus ad *Catonem*, virum civitatis¹ regendae¹ peritum¹ adit. «Quid novi?» interrogavit *Cato*.

«Horribile dictu! Proximā nocte somnum de mure² ratto² tegmen³ pedum³ comedenti somniavi. Tu vir magni ingenii es. Dic mihi, quid id significet! Afficiarne aliquā magnā calamitate?» *Cato* ridere solebat, sed tum abstinuit. Se valde cogitare simulabat. Sed cum vidisset vicinum perturbatum, dixit: «Confirma animum tuum. Tantum dimidium mali adest; sed periculosius... fieret si...»

«Heu! Noli dicere!» — exclamat ille conterritus.

... «si nocte insequenti tegmen pedum veniret et murem rattum comederet!» Vicinus intellexit virum doctum iocari et indignabundus⁴ abiit.
Andreas Bruck disc. gymn. I. P. E. A.

Brassica⁵ ingens.

Duo viatores *Stephanus* et *Josephus* hortum brassicarum praeteribant. «Vide-dum — dicit *Josephus* — quantae sint hae brassicae! Etiam hae sint magnae? — sic *Stephanus* vaniloquus.⁶

Cum in Germania vagabar, vidi quandam, quae maior erat hōc aedificio parochiae.»⁷ *Josephus* qui faber⁸ aerarius⁸ erat, iactationes⁹ *Stephani* ex usu iam noverat, quare respondit: «Ego autem vidi ahenum,¹⁰ quod maius erat hōc templo». «Quid opus est¹¹ tantum ahenum» clamat *Stephanus*. — «Ingentem brassicam istam in hoc aheno coquere voluerunt» respondit *Josephus*.

Steph. Banó disc. Dombovarensis.

¹ államférfi = Staatsmann ² patkány = Ratte ³ láb-beli = Fussbekleidung ⁴ bosszankodik = unwillig ⁵ káposzta = Kohl ⁶ kérkedő = Aufschneider ⁷ plébánia = Pfarrhaus ⁸ rézműves = Kupferschmied ⁹ lóditás = Aufschneiderei ¹⁰ üst = Kessel ¹¹ mire való? = wozu?

Ex Carminibus Danielis Berszenyi.

I. Ad Horatium.

Ex libro, qui inscribitur: «*Danielis Bersenii* poëtae Eclogae Latinis versibus redditae ab *Stephano Tamaskó* lycei Posoniensis professore Budapestini, Typographia Societatis Franklinianae 1880».

*Iam saevit Boreas Cāmenesum¹ supra
Et sol contegitur turbine nubium,
Sagi¹ in vertice nix² molibus² intumet²
Inque hiberna fugit fera.*

*Flacci, quid doceat te lyra, iam accipe:
Incendas foculum, misce merum scypho,³
Unguento niteat nunc balani⁴ caput,
Quem torret Syriae calor.*

*Lucis carpe diem, quidquid adest, ama,
Nec fervorem animi, nec tenerum impetum⁵
Crudelis cohibe, dum iuveni fovens
Fulget stella beator.*

*Magnum non pete. Quid cras? fuge quaerere.
Sic prudens hilaris, sic age, dum potes.
Tempus, dum loquere⁶, instar iaculi avolat,
Stridens rivulus ut loquax.*

¹ Montes in Pannonia ² hófuvatok fedik = Schneemassen erheben sich ³ pohár = Becher ⁴ balzsam = Balsam ⁵ szerelem érzése = Liebesgefühl ⁶ loqueris

II. Hiems propinquans.

Latine reddidit *Josephus Irsik*.

*Marscescit nemoris deciduum¹ decus:
Flava inter frutices fólia perstrepunt,
Nullus rosulifer iam labyrinthus est,
Nec fragrat² zephyrus crocis.³*

¹ hullatag = abfallig ² vminek (abl.) az illatát terjeszteni = einen (abl.) Geruch verbreiten ³ sáfrány = Safran

*Nulla est symphonia, viridibusque sub
Umbris non gemitant mitia⁴ turtures.⁵
Vallis rivulea⁶ non violas olet;
Quisquiliac⁶ speculum tegunt.*

*Montis culminibus nubila consilent,
Thyrsis⁷ uva nec in vitiferis nitet;
Hic nuper iubilis⁸ cuncta sonora erant,
Maerent emoritura nunc.*

*Alatum, ah, subito tempus en avolat,
Subque alis opera cuncta vibrant⁹ sua;
Nil, ni phaenomenon:¹⁰ quod zenitho subest,
Mox perit myosotis¹¹ ut.*

*Deflorentia¹² sunt gemmea¹³ serta mea.
Libatis¹⁴ fere via nectareis scyphis¹⁵
Pulchro destituor¹⁶ vere, tetigerim
Cum nullos prope flosculos.*

*Aetas pulchra fugit, nescia regredi:
Nullum iam referet ver mihi primulas,
Nec clausos mi oculos aperient meae
Lollae magica¹⁷ cilia.¹⁸*

⁴ adverb. ⁵ gerlice = Turteltaube ⁶ rivuli ⁶ giz-gaz = Gestrüppe ⁷ szőlővessző = Rebe ⁸ kurjongatás = Jauchzen ⁹ lebegni = schweben ¹⁰ tünemény = Erscheinung ¹¹ nefelejcs = Vergissmeinnicht ¹² elhervad = verblühen ¹³ bimbós = mit Knospen besetzt ¹⁴ ízlelni = kosten ¹⁵ pohár = Becher ¹⁶ cserbenhagy = im Stiche lassen ¹⁷ bűvös = bezaubernd ¹⁸ supercilia



Iocosa.

1. Agricola in oppidum avenam¹ vehit. «Quid portas in tuo plaustro?» interrogat eum exactor² portorii.² — «Avenam», respondet suppressa³ voce³ agricola. — «Cur dicis leniter?»³ «Ne equi audiant.»

Rosalia Vajda disc. Maconensis.

2. Petrus parvulus — qui adhuc privatim domi discebat — nunc ascribitur⁴ albo⁵ discipulo- rum ludi⁶ litterarii⁶ publici. «Quid est pater tuus, Petre?» — interrogat magister. — «Aegrotus» — respondit Petrus. — «Non id interrogo, sed in qua re occupatus est?» — «Tussit.»⁷ —

«Sed quid facit, cum sanus est?» — «Tum non tussit.» — «At Deus tibi benedicat, mi fili, non intellexisti? Id scire volo, quid sit pater tuus, cum non tussit et non aegrotus est?» — «Tum sanus est.»

Lad. Wagner disc. gymn. I. P. E. A.

3. *Magister:* Puer, os tuum patet!

Disc: — Scio, magister, a me patefactum est.

4. Aëronauta in nebula itinere⁸ deerrans⁸ inclamat agricolam in campo laborantem: «Heus tu, ubi ego sum?» — Agricola spectat aëronautam et arridet: «Oh, magnifice te video in machina sedentem.»


Magd. Jóbörn disc. Kunszentmiklósiensis.

5. Vir centum annos natus: «Cui rei hanc provectam aetatem adscribis?»⁹ — interrogatus, simpliciter: «Certe — respondit — quod nondum mortuus sum.»

6. Quidam diurnarius domum,¹⁰ quā continentur¹⁰ mente¹⁰ capti,¹⁰ visitavit. Director hospitem circumduxit et in quōdam conclavi: «Hic sunt — inquit — qui automobilibus insaniunt.»¹¹ — «Ubi sunt? Neminem video!» — «Sub lectis sunt et totam diem reparando consumunt.»

Col. Gáldy et Car. Eteley disc. gymn. Univ.

¹ zab = Hafer ² vámszedő = Zöllner ³ halkan = leise ⁴ beiratják = wird eingeschrieben ⁵ jegyzék = Liste ⁶ elemi iskola = Grundschule ⁷ köhög = husten ⁸ eltéved = sich verirren ⁹ tulajdonít = zuschreiben ¹⁰ tébolyda = Irrenanstalt ¹¹ rögeszme = fixe Idee.



Solutiones aenigmatum numeri VI.

1. Malo hic esse primus, quam Romae secundus.

2. O superbe, quare es superbus.

3. Agere considerate pluris est, quam cogitare prudenter. — Mercatores, quas merces parvo emerunt, magno saepe vendunt.

4. Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum (non, aqua, tres, pes, lac, quoque, Midas, semper, adamas, titulus, paedagogus. Ante-apud. Non, non, nunquam. Dum spiro, spero).

Aenigmata recte dissolverunt: Anna Kertész, Editha Bátor, Ida Gáll, Irene Lenkei, Susanna

Mártha (*Theresianum*), Anna Mayer, Anna Gellért (*Ursulanum*), classis VIII. *Elisabethei*, Magdalena Fajcsek (*Sophianum*), Paulus Tolnay, Adamus Baldermann, Edmundus Fellegi, Tiburtius Vénusz (*scholae Piae*), Andreas Klein, Stephanus Falbizoner, Andreas Biró, Levente Hibbey (*Fayanum*), Joannes Wolkóber (*Madáchianum*) *Budapestinenses*. — Stephanus Okolicsányi, Augustus Pavlik, Andreas Pusztai, Stephanus Borberek, Carolus Tokai *Agrienses*, Franciscus Fazekas Novo-Pestiniensis, Ioannes Csécssei *Kispestinensis*, Ladislaus Bodó *Ginsiensis*, Iosephus Kaptay, Gabriel László, Ladislaus Javorik *Tataiensis*, Eva Dobó, Gabriella Funtek, Helena Szabó, Margareta Steiner *Iaurinenses*.

Praemium sorte classi VIII. *Elisabethei* et Ladislao Javorik obvenit.

1.

Venator, uxor, filius cum filia agricolae in silva ambulantes quamquam tria tantum mĀla habebant, tamen omnes singula mala tota ederunt. Quomodo hoc fieri potuit? *Lad. Javorik* disc. *Tataiensis*.

2.

Dissolvendum ad saltum equulei.

o	i	o	m	i
c	n	c	a	m
n	r	u	m	o
i	t	m	m	s
u	u	a	n	A

Lad. Kiss disc. *Agriensis*.

3.


Primae litterae syllabarum, quae desunt, notum proverbium reddunt.

.. rridus	.. ena
.. notus	.. nitor
.. epe	.. buo
.. ner	.. eculum
.. namentum	.. tubo
.. mpo	.. gio
.. ex	.. trologus
.. duus	.. vo
.. fluo	.. dicium
.. xaginta	.. llo
.. mulo	.. ronauta
.. rbidus	.. ephantus

Ioannes Harsányi disc. *Debrecinensis*.

Terminus aenigmatum solvendorum Non. (5. dies) Apr.

Solutiones aenigmatum sumptibus comparcendi causā singulis in scholis a magistro collectae in eodem involucro epistolae ad moderatorem mitti possunt.



Corrigenda numeri 6. (Febr.): pag. 89.: pro: «absque 4 filiis» lege: atque a 4 filiis; pag. 90.: pro: *Aesopi* lege: *Phaedri*; pag. 91.: pro: «nuntius scripta» lege: n. *scriptus*; pag. 96.: pro: «*Maximus* gratias» lege: *maximas* gr.

I. *Szelecsényi*. «Donum Petri Pázmány» iam mense Sept. (pag. 3.) publicatum non legisti? — *L. Babnigg*. Meditationes tuae plurimis lectorum nostrum nimis sublimes itaque minus iucundae essent. Sed aliam tibi materiam ad convertendum exquiram. — *Rosa Vajda*. Solutione acceptā aenigmatum publicabo. — *Auctor ignotus* quattuor aenigmatum ad saltum equulei dissolvendorum nomen suum scribat mihi. — *Ios. Kaptay*. Duo aenigmata male solvisti. — *Lad. Mihálesik*. «Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.» Sed grammaticam non satis bene didicisti. Fabulam tuam breviorē factam edam. — *Octavia Gall* et *Editha Weissenbach*. Vos amicasque vestras in numero lectorum ephemeridis nostrae salutare gaudio nobis est. Epistolae vestrae testes sunt diligentiae et studii discipularum *Harlemensium* in *Batavia* et *Kaposvariensium* in *Hungaria*. Si quis vestrum iocosa, aenigmata etc. scripserit, transmittat ad moderatorem. Sorori *Christinae* et *Aladario Kővári*, magistris vestris, sicut vobis S. P. — *Lad. Magyar*. Ad te, care collega, litteras privatas dabo. — *C. Barnas*. Gratias maximas pro responso utilissimo. — *Max. Balázs*. Quia alia carmina *Berzsenyiana* iam pridem editionem expectabant, translatio tua post haec publicabitur. — *Ant. Kovács*. Gratulor tibi, collega carissime, de tuis discipulis. Carmen *Ioannis Arany* proxime prodibit. Alterum forsitan *Calendis Ian.* — De aliis manuscriptis proxima occasione.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A *Katholikus Középkolai Tanáregyesület* költségén.

(Praeses: DR. IOANNES KISPARTI, elnök.)